divina revelacione illuminata. Lia affectio ad normam ius
ticie se ipsam componens. Rachel racio se in celestis sapientie contemplacionem
attollens. Sed de ipsis hactenus: nunc de earum ancillis videamus.
Accepit quidem utraque illarum ancillam suam. Affectio sensualita
tem: racio imaginacionem. Obsequitur sensualitas affectioni:
imaginacio famulatur racioni. In tantum unaquaeque ancillarum domine
sue necessaria esse cognoscitur: ut sine illis mundus totus nil eis
posse conferre videatur. Nam sine imaginacione racio nichil sciret:
sine sensualitate affectio nil saperet. Ut quid enim licet cir
ca labencium rerum amorem tam vehementer afficitur. nisi quia in eis per
ancille sue hoc est sensualitatis obsequium multiformiter delec
tatur. Item cum scriptum sit quod invisibilia dei a creatura mundi per ea que
facta sunt intellecta conspiciuntur: iam manifeste colligitur. quod
ad invisibilium cognicionem numquam racio assurgeret: nisi ei ancilla sua
imaginacio visibilium rerum formam representaret.
Per rerum visibilium speciem surgit ad rerum invisibilium cogni
cionem: quoniam ex hiis ad illa quandam trahit similitudinem. Sed
constat quod sine imaginacione corporalia nesciret: sine
quorum cognicione ad celestium contemplacionem non ascenderet.
Visibilia enim solus intuetur sensus carnis: invisibilia solus
videt oculus cordis. Est quidem sensus carnis totus extrinsecus: sensus
vero cordis totus intrinsecus. Racio foras exire non potest: sensus
corporeus ad illa intrare non potest. Non enim decebat filiam
delicatam et teneram et singulariter formosam foris per plateas
discurrere: sed nec servam domine sue conveniebat pene
tralia secreciora irreverenter irrumpere. Discurrit
quidem imaginacio ut potest ancilla inter dominam et servum.
inter racionem et sensum: et quicquid extrinsecus haurit per sensum
carnis: intus representat ad obsequium racionis. Semper it